

ronymus, rectissime dixit in epist. ad Marcellam : « Nos unam Quadragesimam tempore nobis congruo jejunamus ».

## CAPUT XVII.

*De jejunio feriae quartae, et feriae sextae.*

Post jejunium Quadragesimae nullum est aliud cujus major inveniatur mentio apud veteres, quam feriae quartae, et feriae sextae. Meminit hujus jejunii canon Apostolorum 68. Ignatius in epist. ad Philippenses, Tertullianus in libro de jejunio, Clemens Alexandrinus lib. vii. Strom. ultra medium, Origenes hom. 10. in Leviticum, Ephemianus in compendiarum doctrina. Hieronymus in cap. iv. ad Galat. Augustinus in epist. 86. ad Casulanum. Palladius in historia Lausiaca cap. 52. et alii passim.

Causam hujus jejunii callide, sed falso reddit Kemniti in 4. part. examin. pag. 578; dicit enim veterem Ecclesiam jejunare solitam feriam quartam, et feriam sextam, quia duobus illis diebus conveniebant populi in Ecclesiam ad audiendum verbum Dei, et sumendam coenam. Et inde colligit pag. 584. hoc tempore debuisse hanc jejunia cessare, cum causa ipsa cessaverit. Et ibidem addit, Quadragesimam fuisse institutam, quoniam apud veteres in Paschate catechumeni baptizabantur, et poenitentes absoluebantur, et ideo cum eis totus populus jejunabat. Proinde hoc tempore supervacaneam esse Quadragesimam, cum ritus illi, propter quos fuerat instituta, cessaverint.

At si verum esset, quod Kemniti dicit de causa jejunii feriae quartae et sextae oportuisset Christianos semper in Dominica jejunare. Nullo enim die solemnior atque celebrior populi conventus in Ecclesia esse solet ad concionem audiendam, et sacram communionem percipiendam, quam die Dominico. Et hanc fuisse consuetudinem antiquissimam, cognosci potest ex Apologia S. Justinii ad Antonium. Neque adversarii id negant. Die vero Dominica non esse jejunandum, testantur multi veteres, atque in primis sanctus Augustinus, in epist. 86. et 119. Falsum igitur est, quod Kemniti dicit, feriam quartam et sextam jejunium indici solitum, quia diebus illis conveniebat populus ad verbum Dei audiendum, et coenam Domini participandam.

(1) Mat. IX, 15.

Quod autem addit, abolitam esse consuetudinem baptizandi catechumenos, et absolvendi poenitentes in Paschate, verum est apud Lutheranos : caeterum apud catholicos, ac praesertim in urbe Romana nullus est annus, quo non multi Catechumeni in Paschate baptizentur. Poenitentes autem non solum Romae, sed in tota plane Catholica Ecclesia maximo numero in Paschate praemissa absolutione, Christi corpus accipiunt.

His igitur omissis vera causa jejunii quartae et sextae feriae est ipsa Dominica passio, quam per totum annum his potissimum diebus commemoramus, quod feria quarta Dominus proditus ac venditus fuerit, feria sexta crucifixus et mortuus. Hanc enim causam reddunt Clemens lib. v. Apostol. constit. cap. 16. et Augustinus epistol. 86. S. autem Ephemianus dicit quidem feriam sextam jejunari, quia Dominus ea die crucifixus fuit : sed feria quarta jejunari dicit, quia illucescente quarta, Dominus fuit assumptus. Quod non satis convenit cum traditione Ascensionis Domini.

Addit autem Ephemianus loco notato, per hoc jejunium impleri, quod Dominus ait, Matth. ix. *Cum ablati fuerit sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus* (1). Nam etiamsi hoc dictum impleatur per quadragesimale jejunium, ut supra ex Tertulliano notavimus : non est tamen absurdum, si per jejunium quoque feriae quartae et sextae impleri dicatur, cum tam jejunium Quadragesimae, quam feriae quartae et sextae ad passionem Domini, per quam ablati sunt a nobis sponsus, sine dubio referatur.

Addit etiam ibidem Ephemianus, si festum Natalis Domini in feriam quartam, aut sextam inciderit, neque esse jejunandum, neque a carnibus abstinendum, nisi forte ratione voti aliquis ad jejunium, aut abstinentiam obligetur. Quod idem postea declaravit Honorius Pontifex Max. cap. Explicari, de observatione jejuniorum.

Existunt autem de jejunio feriae quartae et sextae quaestiones duae. Prior est, sitne hoc jejunium lege sancitum, an potius in arbitrio fidelium positum. Nam can. 68. Apostolorum, et Ephemianus haeresi 75. et in compendiarum doctrina indicant, jejunium feriae quartae et sextae per totum annum Apostolica esse lege sancitum.

Contra autem Tertullianus in libro de je-

junio, refert Catholicos dicentes, jejunium feriae quartae et sextae passive currere, non sub lege praecipit, id est, permitti, non imperari. Item sanctus Augustinus in epist. 86. scribit, Romae frequenter jejunari feriam quartam et sextam, et Sabbato, ubi cum dicit, frequenter, indicat non semper id fieri. Sic etiam Isidorus lib. i. de officiis divinis cap. 42. cum scribit, nonnullos feriam sextam, per totum annum jejunare, aperte significat id non ab omnibus fieri.

Adhaec, si per totum annum fideles omnes feriam quartam et sextam jejunarent ex lege : quorsum opus fuisset jejunio quatuor temporum, quod, ut postea demonstrabimus, feriae quartae et sextae, et Sabbati jejunium continet?

Denique, poenitentibus apud veteres injungi solebat, ut feria quarta et sexta, per totum annum jejunarent, ut cognosci potest ex Burchardo, lib. vi. et xix. Decretorum. Non igitur fideles caeteri feriam quartam et sextam, per totum annum ad jejunia cogebantur.

Proposita quaestio ita solvenda esse videtur, ut dicamus feriam quartam et sextam, per totum annum ex legis praecipito jejunari, quoad abstinentiam a carnibus, et de hac lege intelligendum esse canonem Apostolicum, et testimonium Ephemianum. Quod autem pertinet ad abstinentiam a prandio, quo modo jejunium nominare solet Augustinus, epist. 86. non ex praecipito legis, sed passive, ut Tertullianus loquitur, hoc jejunium ecurrisse. Quamvis ipse etiam Tertullianus meminisse videatur jejunii per abstinentiam solum a carne, cum in libro de jejunio dicit, exceptionem quorundam ciborum portionale esse jejunium; et rursus feriam quartam et sextam, a Catholicis semijejunium plerumque servari.

Posterior quaestio est, cur in latina Ecclesia non servetur lex, quae feria quarta abstinentiam a carnibus imperat. Respondendum videtur in occidentali Ecclesia, magna ex parte mutatum fuisse jejunium feriae quartae in jejunium Sabbati. Scribit enim Ambrosius, sive quicumque est auctor, qui certe antiquissimus est, in comment. ad cap. xiv. ad Roman. Alios feria quarta, alios die Sabbati carnibus abstinere. Innocentius quoque Pontifex ejus nominis primus, in epist. 1. saepe repetit, feriam sextam, et Sabbato jejunandum; feriae autem quartae non meminit. Quod idem faciunt auctores Latini

posteriores, scribit quidem S. Augustinus in epist. 86. Romae saepe jejunari feriam quartam et sextam et Sabbato, sed nec dicit id semper fieri, nec loquitur de portionali, sed de integro, perfectoque jejunio.

## CAPUT XVIII.

*De jejunio Sabbati.*

De jejunio Sabbati magna quaestio apud veteres fuit. Et quidem nonnulli existimarent nefas esse die Sabbati jejunari excepto Sabbatho Paschali. Quam sententiam secuti sunt Graeci in Concilio, quod ipsi sextum, vel quinisextum vocant, can. 55. Contra autem quidam Urbicus nefas, esse docuit, Sabbato non jejunare, cujus sententiam refellit S. Augustinus, in epist. 86 ad Casulanum.

Praeter has extremas sententias sunt aliae duae mediae. Nam S. Innocentius i. in epistol. 1. contendit, Sabbatho convenientissime jejunari; quod idem sensisse videtur Ephemianus in compendiarum doctrina, ubi solum excipit Dominicos dies a jejunio Quadragesimae. Neque S. Hieronymus ad Lucinium Beticum, qui ad quaestionem sibi propositam, utrum jejunandum esset die Sabbati, ut Romae, et in Hispania fieri solebat, respondit, quidem servandam esse propriae Ecclesiae consuetudinem; tamen addidit, « utinam per totum annum jejunare possemus ». Quibus verbis indicasse videtur, probari sibi ut etiam die Sabbati jejunetur.

Contra autem S. Ambrosius et S. Augustinus congruentius esse putabant, ut non jejunaretur Sabbato, sed tamen hortabantur omnes, ut Provinciae suae consuetudinem observarent. Vide Augustinum in epist. 86. et 118.

Caeterum sententia sancti Innocentii tandem prevaluit, et ab Ecclesia occidentali universa recepta est, ut patet ex Concilio Agathensi, can. 12. et Aurelianensi IV. can. 2. In Hispania vero etiam ante tempora Innocentii solidissima est. Nam quemadmodum Graeci cum Latinis jejunant in Sabbato majoris hebdomadae, propter Christi sepulturam, et Apostolorum moerorem : sic etiam par esset, ut jejunarent in omnibus Sabbatis per totum annum propter eandem causam, alioqui non deberent jejunare feriam sextam propter Christi passionem, nisi in majori hebdomada; nec deberent non jejunare die



Dominico per totum annum, sed solum in ipso die Dominicæ Resurrectionis. Nulla enim ratio reddi potest, cur in omni feria sexta liceat imitari jejunium feriæ sextæ Paschalis, et non liceat in omni Sabbato imitari jejunium Sabbati Paschalis. Præsertim cum in omni Dominica die imitemur gaudium Dominica Paschalis, et ideo numquam in Dominica jejunemus.

Sed respondendum est ad objectionem, quæ fieri solet ex canon. 65. Apostolorum, et ex epist. S. ignatii ad Philipp. ubi prohibetur jejunium Sabbati et Dominicæ, et Christi dicitur interfector, qui Sabbato, aut Dominica jejunaverit. Respondeo Clemens in Apostolico illo canone, et Ignatius in epistol. ad Philipp. non sine magna ratione prohibent jejunium Sabbati: exorti sunt enim illo tempore hæretici varii, qui negabant Deum verum esse illum, qui mundum condidit sex diebus, et in septimo requievit. Ut de Simonianis refert Epiphanius, hæ. 21. et de Marcionistis hæresi 42. ubi etiam expresse addit, Marcionistas propterea die Sabbati jejunare solitos fuisse, ne viderentur gaudere de quiete, et operibus Creatoris. Itaque in odium et detestationem horum Hæreticorum, placuit veteribus per orientem prohibere jejunium die Sabbati.

Posset etiam fieri, ut tam in canone Apostolico, quam in epistola Ignatii solum prohiberetur jejunium diei Dominicæ; sed postea a Græcis posterioribus insertum fuerit nomen Sabbati. Nam S. Epiphanius optime noverat canones Apostolicos; quos etiam sæpe citare solet; et tamen (ut supra diximus) non excipit a jejunio, nisi dies Dominicos.

Sed quicquid de hoc sit, Romana Ecclesia, et Occidens universus longe alia de causa jejunat Sabbato, quam hæretici illi facerent. Primum enim Sabbatho jejunamus, vel a carnibus abstinemus, ut longissime a Judaismo recedamus. Judæi siquidem non jejulant, sed epulantur in Sabbato. Deinde, in memoriam humilitatis Domini, qui die Sabbati jacuit mortuus, et clausus in sepulchro. Tum, ut imitemur Apostolos, aliosque discipulos Domini, qui cum ipsa Deipara, et sanctis mulieribus, non solum feria sexta, sed etiam die Sabbati in luctu et mœrore fuerunt. Denique, ut ad celebritatem Dominicæ diei per hoc jejunium præparemur.

(1) Act. XXVII, 10.

Refert sanctus Augustinus, in epist. 86. aliam causam, quod videlicet S. Petrus, cum Simone Mago decertaturus die Dominico, pridie cum tota Ecclesia, quæ in Urbe erat, jejunaverit, et consecuto tam prospero eventu, eundem morem postea tenuerit. « Sed hanc causam falsam esse, inquit Augustinus, perhibent plerique Romani ».

### CAPUT XIX.

#### *De jejunio quatuor temporum.*

De jejunio quatuor temporum tria sunt explicanda, origo, varietas et causa.

Originem ab apostolica traditione deducimus. Primum enim id confirmat expresse S. Leo in serm. 2. de jejunio Pentecostes, et in serm. 8. jejunio septimi mensis. Idem etiam auctor in serm. 7. de jejunio decimi mensis, testatur hæc jejunia quatuor temporum in universa Ecclesia celebrari.

Quod verum esse etiam de orientali colligitur ex sancto Athanasio, qui in Apologia pro fuga sua meminit jejunii Pentecostes, quod est unum ex quatuor. Cum autem in nullo Concilio œcumenico instituta reperiantur, sequitur ut ex Apostolica traditione descendere credenda sint, juxta regulam sancti Augustini, supra citatam, ex lib. iv. de Baptismo cap. 24.

His accedit, quod Callistus Papa vicinus Apostolorum temporibus in epistola ad Benedictum affirmat jam ante sua tempora consuevisse in Ecclesia servari trium temporum jejunia, a se vero additum quartum jejunium, sive quarti temporis jejunium. Ex quo sequitur, ut jejunia quatuor temporum saltem per figuram intellectionis, id est, maxima ex parte ab Apostolis sint instituta.

Denique de jejunio decimi mensis, quod est unum ac præcipuum ex quatuor, videtur mentio fieri in Actis Apostolorum, cap. XXVII. in illis verbis: *Incipiebat enim periculosa esse navigatio, quia jejunium jam præterierat* (1). Neque enim exponi potest hic locus de inedia navigantium, ut sensus sit, incipiebat periculosa esse navigatio, quoniam qui erant in navi ob longam inediam, viribus jam destituti erant. Nam si sanctus Lucas id significare voluisset, non dixisset, quia jejunium jam præterierat, sed quia magnum jejunium jam præcesserat. Cum autem abso-

lute dicat, quia jejunium jam præterierat, loquitur de aliquo stato, et solempni jejunio, ex quo tempus anni describit, ut Chrysostomus et Oecumenius in commentario hujus loci affirmant.

Et confirmari potest hæc expositio ex collatione cum alio in eodem capite, ubi describitur jejunium profanum ortum ex mœrore navigantium. Ibi enim non dicitur quia jejunium jam præterierat, sed, cum multa jejunatio fuisset, et ipsum jejunium *ἀστειαν* ibi vocat, cum hic *τῆν νηστεϊαν* appellet. Verum est quidem a Chrysostomo et Oecumenio hunc locum exponi de solempni jejunio Hebræorum. Sed certe longe probabilius est, eum loqui de solempni jejunio Christianorum. Neque enim Hebræis, sed Christianis librum Actorum scripsit sanctus Lucas, et ex jejunio illis noto, descripsit tempus hibernum, in quo periculosa navigatio esse solet. Videtur igitur loqui de jejunio decimi mensis, quod semper apud Christianos celeberrimum fuit propter ordinationes clericorum. Apud veteres enim non fiebant ordinationes nisi in mense Decembri, ut Amalarius testatur lib. II. de officii Ecclesiasticis, cap. 1. et perspicuum est ex pontificali Damasi, ubi solum mense Decembri leguntur antiquissimi Pontifices ordinasse presbyteros, vel diaconos. Tempore autem ordinationis solitam fuisse Ecclesiam jejunare, docemur in Actis Apostolorum, cap. XIII. et hæretici quoque id fatentur.

Jam vero varietas Duplex in hoc jejunio invenitur. Primum enim trium temporum observabatur jejunium. Deinde, ex decreto Callisti quartum est additum. Præterea, nonnulli hæc jejunia ita distribuiebant, ut primum celebrarent prima hebdomada primi mensis, id est, martii. Secundum, secunda hebdomada quarti mensis, Tertium, tertia hebdomada septimi mensis. Quartum, quarta hebdomada decimi mensis. Ita legimus in Concilio Moguntino can. 34. et apud Rabanum, lib. II. de institutione clericorum, cap. 24.

Alii vero, idque magis communiter, primum tempus constituiebant in prima hebdomada Quadragesimæ, secundum, in hebdomada Pentecostes, tertium, in tertia hebdomada Septembris, quartum, in tertia hebdomada Decembris. Sic enim hæc tempora describunt summi Pontifices, Leo I. in serm. 8. de jejunio decimi mensis, et Gelasius I. in epist. I. cap. 13. quamvis non expresse notent hebdomadas septimi et decimi mensis, sed solum ipsos menses.

Porro causæ præcipuæ institutionis quatuor temporum quatuor assignari possunt. Prima causa fuit, ne Christiani Judæis in hac parte remissiores viderentur. Constat enim ex cap. VIII. Zachariæ, fuisse apud Hebræos solempne jejunium quater in anno, id est, mense quarto, quinto, septimo et decimo. Equum igitur fuit, ut Christiani, qui perfectiores Hebræis esse debent, haberent etiam sua quatuor tempora, quibus solempniter jejunarent. Reddunt hanc rationem sancti Pontifices, Callistus in epist. ad Benedictum. Et Leo serm. 7. de jejunio septimi mensis, et serm. 4. et 6. de jejunio decimi mensis.

Altera causa fuit propter ordinationes clericorum. Nam etiamsi primi summi Pontifices sacros ordines non conferrent, nisi mense Decembri, postea tamen crescente numero ordinandorum, institutum est, ut aliis etiam tribus temporibus sacri ordines conferrentur, ut ex epistol. I. Gelasii jam citata intellegi potest.

Tertia, ut his temporibus Deo supplicaremus pro frugibus et fructibus terræ, et pro iisdem jam perceptis gratias ageremus. Nam in iis quatuor temporibus aeris temperies maxime variatur, et fructus omnes, ac fruges vel feruntur, vel nascuntur, vel maturantur, vel colliguntur. Adfert hanc rationem S. Leo serm. 2. 3. et 8. de jejunio decimi mensis.

Quarta, ut sicut habemus solempne jejunium singulis annis, quod est jejunium Quadragesimæ, et jejunium statum singulis hebdomadibus, quod est jejunium feriæ quartæ et sextæ, vel feriæ sextæ, et sabbati: sic haberemus jejunium aliquod singulis mensibus.

Tres autem dies, qui tribus mensibus respondent, commoditatis gratia in unum mensem conjecerunt. Ita jejunamus tribus diebus primi mensis, pro mense primo, secundo et tertio. Item tribus diebus mensis quarti pro mense quarto, quinto et sexto. Tribus quoque diebus mensis septimi pro mense septimo, octavo et nono. Denique tribus diebus mensis decimi pro mense decimo, undecimo et duodecimo. Sic Leo nos docet serm. 6. de jejunio septimi mensis, et serm. 8. decimi mensis, et Amalarius lib. II. de officiis ecclesiasticis, cap. 2.

Sed objectiones Kemnitii breviter diluendæ sunt, quas habet in 4. part. exam. pag. 645. 646. et 686. Primum objicit, quod in lib. Tertulliani de jejunio Catholici dicant, nullum esse impositum ab Apostolis jugum jejuniorum, excepto jejunio paschali.



Respondeo : Fieri potest, ut Apostoli jejunium quatuor temporum instituerint quidem, sed non sub lege præcepti : deinde devotione fidelium frigescere, vel a Callisto Pontifice, vel ab alio præceptum sit additum. Quamquam (ut supra monui) non satis magna fides haberi potest Tertulliano in iis libris, quos dedita opera contra Ecclesiam scripsit.

Obijcit secundo, quod S. Hieronymus in epistola ad Marcellam scribit, Montanistas tres Quadragesimas jejunare, nos autem unam tantum, secundum traditionem Apostolorum ; per reliquum autem annum jejunare non necessitate, sed voluntate. Ex quo loco ita Kemnitius colligit : « Hieronymi ergo tempore, illa necessitas jejuniorum quatuor temporum adhuc fuit ignota Ecclesiae, sicut hæc ipsius sententia manifeste ostendit ». Et infra : « Lex igitur, quæ in Montanistis antea damnata fuerat, postea in jejunii quatuor temporum per metamorphosim in cultum Dei conversa, et canonizata est ». Hæc ille.

Respondeo : Non jejunabant Montanistæ quatuor tempora, sed tres Quadragesimas, vel duas hebdomadas, ut Tertullianus indicare videtur. Proinde nihil habet simile jejunium quatuor temporum cum jejunii Montanistarum. Sed Kemnitio licet non solum ex dissimilibus similia, sed etiam ex diversis eadem facere, sicut ex quolibet antecedente quodlibet consequens pro arbitrato colligere. Sanctus enim Hieronymus non dicit, per reliquum annum nulla esse jejunia per legem Ecclesiasticam constituta, sed dicit, licitum esse unicuique per totum annum, si voluerit, jejunare. Nam cum dixisset, Montanistas tres Quadragesimas habere ex præcepto Montani, ne videretur improbare frequentia jejunia, subjungit : « non quod per totum annum (excepta Pentecoste) jejunare non liceat ; sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre ».

Ubi duo dicit, primo licitum esse per totum annum (excepta Pentecoste) id est, præter quinquaginta dies qui sunt a Pascha ad Pentecostem, jejunare. Deinde addit, non esse tamen Ecclesiam cogendam ad jejunium totius anni ; vel trium Quadragesimarum, quod esset multis plane intolerabile. Alioquin enim sanctus Franciscus, et alii, non tres, sed quinque, vel sex Quadragesimas jejunabant, sed voluntate, ut sanctus Hieronymus monet esse faciendum, non necessitate.

Obijcit tertio, quod jejunium quatuor temporum natum sit ex prava æmulatione Judæorum, qui jejunium in quatuor mensibus observabant. Duo sunt autem, quæ in hac imitatione Kemnitius reprehendit. Primo, quod jejunia illa quatuor temporum Judæi non ex præscripto Domini, sed ex proprio capite instituerint, et ideo Zachar. VIII. ab ipso Domino per Prophetam reprehensa fuerint. Secundo, quod non liceat Christianis ritus Judaicos imitari, etiam a Domino institutos et imperatos, ut ait Apostolus ad Galat. cap. IV.

Respondeo : falsum est, jejunia quarti, quinti, septimi et decimi mensis a Deo per prophetam reprehensa fuisse. Nam ut etiam supra ostendimus, quod Dominus ait Zachar. VIII. jejunia illa convertenda esse in solemnitates præclaras, ad laudem eorum jejuniorum pertinet. Significat enim Dominus, si jejunia illa pie servantur, fore ut aliquando id præmii accipiant, ut convertantur in solemnitates præclaras, atque in hunc sensum hunc locum exponunt Hieronymus, Theodoretus et Rupertus in commentario, et S. Leo serm. 7. de jejunio septimi mensis, et serm. 4. de jejunio decimi mensis.

Porro jejunia quatuor temporum ex pia et sancta Judæorum veterum imitatione orta esse, cum S. Leone asserere non veremur, nam etiamsi caeremonias Judæorum, quæ significationis causa institutæ fuerant, imitari non possumus, tamen exercitia virtutum communia sunt utriusque Testamento, et magis conveniunt Christianis, quam Judæis, et ideo pati non debemus, ut in ejusmodi rebus ab illis superemur.

S. Augustinus in epist. 86. ad Casulanum, scribit, jejunare bis in Sabbato, ut Pharisæus Lucæ XVIII. bonum esse Christiano, modo sine superbiæ tumore id faciat. Sicut etiam decimas fructuum omnium dare, quod Judæi faciebant, optandum esse dicit, ut a Christianis omnibus impleatur. Itaque Aeriani apud Epiphanium sic ratiocinabantur : Hebræi stata jejunia habuerunt, igitur nefas est, stata jejunia habere Christianos. Contra sanctus Augustinus, et sanctus Leo : Hebræi jejunabant bis in Sabbato, et rursus in quatuor mensibus certa jejunia observabant, igitur æquum est, ut Christiani jejunent feria quarta, et sexta, et jejunia quatuor temporum religiose custodiant. Cum igitur ex eodem antecedente contrarias conclusiones hæretici veteres, et veteres Patres college-

rint, dialecticam hæreticorum Lutheranis relinquentes, nos Patrum sanctorum dialecticam amplectemur.

At (inquit Kemnitius) beatus Joannes Chrysostomus notat, Apostolum ad Galat. IV. reprehendisse Christianos, qui non solum integros Judaicos ritus, sed etiam partem aliquam eorum rituum servant. Non igitur licet Christianis ullo modo servare Judaicum ritum de jejunio quatuor temporum. Respondeo : Loquitur beatus Paulus, et cum eo sanctus Joannes Chrysostomus, de caeremonialibus præceptis, quæ nec ex toto, nec ex parte servanda sunt : qualia sunt circumcisio, sacrificia pecorum, neomeniæ, Sabbata et alia id genus : at jejunia, eleemosynæ, preces, plane moralia sunt. Præterea non eodem ritu, neque eodem tempore, neque ob eandem causam jejunia quatuor temporum a nobis, et a Judæis servantur.

## CAPUT XX.

*De jejunio Adventus.*

Adventum Domini jejunio celebrari consuevisse in Romana Ecclesia, perspicuum est : tum ex Innocentio III. capite Consilium, de observatione jejuniorum : tum ex ipso ritu Romani Breviarii, in quo preces illæ ad singulas Horas ponuntur legendæ in feriis Adventus, quæ propriæ sunt eorum dierum, quibus jejunatur. Cæterum, hoc jejunium non tam ex præcepto, quam ex Consilio, aut voto, a multis servari, Ecclesiae usus satis aperte testatur. Vide Radulphum de Rivo in lib. de Canonum observantia cap. 16.

## CAPUT XXI.

*De jejunio Rogationum.*

Jejunium tridui ante ascensionem, una cum Litanis, instituisse fertur S. Mamertus, Viennæ Episcopus, ut scribit Gregorius Turonicus lib. II. historiae Francorum cap. 34. propter multa incommoda, quæ a terræ motibus, et luporum incursionibus, eo tempore Gallia patiebatur. Deinde, idem jejunium receptum legitur in Concilio Aurelianensi I. 29. cap. Romæ quoque olim idem jejunium ita servabatur, ut cibis solum quadragesimalibus populus vesceretur, ut intelligi potest ex Ord. Romano, ubi agitur de rogationibus.

Videtur tamen non tam præcepti, quam consilii fuisse ejusmodi observatio, cum satis constet, inter Pascha, et Pentecostem, ex antiquissima consuetudine nulla jejunia imperari. Sicubi tamen hoc ipsum jejunium præcepti lege servatur, non est improbandum. Servanda est enim in ejusmodi rebus Ecclesiae consuetudo, ut Hieronymus in epist. ad Lucinium, et Augustinus in epist. ad Casulanum monent. Exstat de institutione rogationum insignis sermo S. Alchimi Aviti, qui fuit tertius a sancto Mamerto, Viennensis episcopus.

## CAPUT XXII.

*De jejunii Vigiliarum, et Stationibus.*

Pridie magnorum festorum non solum vigiliæ agi per noctem, sed etiam interdiu jejunari, testis esse potest sanctus Bernardus in serm. de vigilia sancti Andreae. Item Burehardus lib. XIII. decret. cap. 16. et Innocentius III. cap. 1. et 2. de observatione jejuniorum.

Quoniam autem stationis nomen, ejus frequens est mentio apud veteres, partim cum vigilia, partim cum jejunio convenit, ita ut sæpe pro alterutro accipi videatur, operæpretium esse duxi breviter explicare, quid proprie statio sit.

Igitur non desunt, qui stationem existiment dictam esse a stando, quod fieret diebus Dominicis, quibus diebus Christiani non nisi stantes orabant, juxta illud Tertulliani in lib. de corona militis, die Dominico jejunare nefas ducimus, et de geniculis adorare. Sed falsam esse hanc opinionem ex illo ipso libro de corona militis intelligi potest. Docet enim Tertullianus, numquam fieri stationem die Dominico : « Jam, inquit, et stationes, aut alii magis faciet, quam Christo, aut die Dominico, quando nec Christo ».

Igitur statio proprie nihil aliud erat, nisi vigilia diurna tempore solemnium jejunii. Cum enim publice, et solemniter jejunabatur, vigilabant in orationibus, et ejusmodi vigiliæ, et quasi excubiæ orantium et jejunantium stationes dicebantur, vocabulo desumpto ex militia, ut Tertullianus monet in lib. de oratione.

Hoc autem intererat inter stationem, vigiliam, et jejunium, proprie loquendo, quod jejunium fieri poterat noctu et interdiu, vigilia solum de nocte, statio solum de die. Atque idcirco diximus, stationem non esse